

FR 64

22

Z d
3395

474
X:2056294

NOBILISSIMO CLARISSIMOQ.
 V I R O,
 DN. IO. GEORGIO
 CHRISTOPHORO
 FEVERLINO,
 EMENZHEMIENSI FRANCO,
 S V M M O S
 IN PHILOSOPHIA
 H O N O R E S
 CONSECVTO,
 M. IO. ANDREAS PLANERVS,
 ORD. PHIL. ADSCR.



VITEMBERGAE,
 TYPIS CHRISTIANI GERDES I.

85.

BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA

De Martino Polichio.





Mnium, qui immortalem divinae humanaeque sapientiae fructum a nostrate Academia ferunt, nemo te, CL. VIR, nemo civibus tuis, iustius percipere videtur. Neque enim tam accipis, quam repetis beneficium, cuius quidam tuorum civium sementem fecit, absque quo si fuisset, tantum profecto abesset, ut studiorum praemia ingeniis doctrina et virtute claris urbs ista persolveret, ut ne animos quidem sapientia, bonarumque artium cognitione, imbueret perinde ac perpoliret. Per te ipse intelligis, quorum ego eam, quandoquidem nemini ignotum esse potest maximum gentis tuae decus, MARTINVS POLICHIVS, Luxilla, quae non suum magis Mellerstadium, quam nostram Saxoniae Vitembergam, praeclara nominis sui fama illustravit. Non raro magnifice conatis fortuna reluctatur, quantoque majora monumenta gloriae parantur, tanto fere plura sunt, quorum objectu retardentur haud parum, ac impediuntur. Idemque usu venit, ubi Saxo, cognomento Sapiens, dignissimum Principe negotium aggressurus, novam condere Academiam moliebatur. Re tanta permotus, cum doctissimos Purpuratos alios, tum praecipue scientiarum Doctorem omnium, MARTINVM, in consilium adhibebat, ac de sede domicilioque, literarum studiis dedicando, consultabat. Plerisque omnibus urbs tanto operi impar visa, sic tamen MELLERSTADIO placuit,

placuit, ut, velut divino Spiritu tactus, illam, praediceret, et sui splendore luminis, et utilitatis amplitudine, omnes Germaniae scholas superaturam: eaque tandem ratione efficeret, ut Academia salutaretur. Ex quo eluxit, cum summa Viri sapientia, qui, optimum quod esset, provideret: tum auctoritas, qui optime consulta persuaderet: tum felicitas, quippe cuius consilio, cum multorum saepe consiliis fata praevalent, eventus longe optatissimus responderet: tum denique providentia, qui res futuras cogitatione praeciperet, et eventurum prospiceret, quod postea evenit, idemque fore haudquaquam coniectaret, sed, tanquam vates, sic praediceret ac vaticinaretur. Sed tanti laudes Viri persequi supersedeo, qui et multitudine obrui me sentiam, et iniquis spatiis excludi; neque eam ob causam quicquam aliud, praeter illud, addo, si aequum est, ut ex meritis maiorum fructum aliquem posteris capiant, vel unius nomine MELLERSTADII, dignissimum te, VIR CL. videri, qui vel primum honoris Philosophici insigne consequare. Quamquam multo plura sunt, quae te honorati socium Coetus constituent, quae tibi, tanquam propria, vindicas, aut certe potes vindicare. Etenim, quo minus fortasse velis, pudor tuus singularis prohibet: at, quo minus tamen prae te ferre et ostentare soles, hoc magis te probas possidere, quem minime fugiat, sicut rusticitate imperitiam, sic eruditionem summa humanitate modestiaque comprobari: quae quidem tanta in te relucet, ut, si cetera tua bona ignorarem, vel exinde testimonium doctrinae peterem, quae animum erudire, aequae ac mores fingere, ac conformare consuevit. Vtriusque vero laudis testes habeo duas Academias suffragantes: cum Noricam, tum etiam nostratam: quarum illa te multiplici, sacrarum proinde ac profanarum scientia rerum locupletavit: haec labore et studio indefesso collectas ingenii opes non minus, magis magisque amplificandas, quam honore afficiendas ornandasque existimavit. Isque tantus tibi, consentiente Patrum suffragio, est habitus, quantum tibi merito tuo conveniret, et honore te hoc digniorem argueret, quo altiori in fastigio collocaret. Tum
aeqvi-

aeqvitas munus suum probe sustinet et exeqvitur, cum non tantummodo suum virtuti pretium constat, sed, velut iusta, nec quicquam fallente lance, adaeqvatur. Quod tibi contigisse gaudeo, vehementerqve laetor, qui, quanto te familia rius utor, tanto certius scio, te non solum summos, cum in Norico, tum in Saxonia, Doctores: ibi *Sontagium, Langium, Vagenseilium, Sturmium, Omeisum, Roettenbeccium*; hic *Vaterum, Strauchium, Schurz fleischium, Schroeerum, Vernsdorsium*, frequentasse; verum etiam, quo plus temporis hisce audiendis consumpseris, eo plus, cum in diviniore scientia, tum vero in philosophia, in pulvere erudito, in literis et antiquitate, progressuum fecisse. Quantum autem laetor, tantum tibi, praemium laboris hodie adepti, gratulor, et meas bene ominantium vocibus conjungo voces, et DEVM immortalem quaeso ac veneror, ut tributos tibi honores bene fortunet, pariter et clementissime sinat, ut aliud deinde ex alio honorum fastigium conscendas, et cum sempiterna gloria teneas, tuumqve adeo MELLERSTADIVM aemulatus procedas usqve eo, ac enitaris, dum vel altera LVX MVNDI existas, Patriamqve tuam, excellentibus in omni genere ingeniis nobilem, florentemqve, non magis nominis tui, quam meritum, splendore impleas, partisqve industria honoribus diutissime perfruaris, juxta ac praemiis usqueqvaque luculentioribus cumulatus praeclarissime de Patria promerere. Vitembergae

Sax. XVII. Kalend. Novembr.

clb. lcb. lc.



1577

110

FR 64

22

Z d
3395

474

X:2056894

NOBILISSIMO CLARISSIMOQ.

V I

DN. IO. G

CHRIST

FEVER

EMENZHEMI

SV M


IN PHIL

H O N

CONS

M. IO. ANDRE

ORD. P



IO
RO

CO,

IA

RVS,

De Martino Polichio.

